



DISPV TATIO IN AVGVR ALIS  
DE  
C O M P A R A T I O N E  
E R V D I T I O N I S V E T E R V M  
E T R E C E N T I O R V M

---

QVAM  
EX AVCTORITATE  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
VIRO MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO

IOH. ANDREA MICH. NAGELIO


METAPH. MOR. LING. ORIENT. ET ORAT. PROF. PVBL. ORD.  
ORDINIS SVI H. T. DECANO SPECTATISSIMO  
PRAECEPTORE AC PATRONO SVO  
SVMMOPERE COLENDO

PRO  
SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

LEGITIME OBTINENDIS  
PVBLICO EXAMI NI SVBIICET  
AVCTOR  
GEORGIVS NICOLAVS MERKELIVS  
NORIMBERGENSIS.

---

AL TORFII  
D. XXIII. IVNII A. R. S. MDCCCLXXXIII.



Q. D. B. V.

§. I.

**O**mni fere tempore fuerunt, qui, antiquitatis admiratione capti, suae aetatis studia et ingenia contemnerent, nihilque probarent, nisi quae *terris semota*, *suisque temporibus defuncta* viderent. Sic Naevium, Ennium, aliosque, non ex merito tantum aestimatos, sed posterioribus, ob solam antiquitatis auctoritatem, praelatos fuisse, discimus ex Horat. Lib. II. Ep. I. Fuere, qui eo usque progrederentur, ut mundi senium confingerent, et, saecula tantummodo prisca naturam fautricem in tribuendis ingenii dotibus habuisse, sibi persuaderent. In hanc sententiam Sidonius Apollinaris, Epist. L. VIII. 6. *Virtutes artium*, inquit, *sacculis potius prisca saeculorum rector ingemuit: quae per aetatem mundi iam senescentis, laffatis veluti seminibus emedullatae, parum aliquid hoc tempore in quibuscumque, atque id in paucis mirandum ac memorabile, ostentant.* Quin Plinii iam aetate vanam hanc

hanc opinionem nonnullis Romanorum placuisse, suspicari licet ex eiusdem Epist. L. VI. 26. *Sum ex iis, ait, qui mirer \*) antiquos: non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa et effoeta natura, ut nihil iam laudabile pariat.* E contrario existiterunt quoque, qui suae aetatis hominibus, sibique adeoque ipsis nimium tribuerent. Testis est auctor Dialog. de Orat. Cap. 26. *Quotusquisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret.* Et Prudentius, contra Symmach. L. I. v. 634. ita de inepto isto et turgido scriptore:

*O linguam miro verborum fonte fluentem,  
Romani decus eloquii! cui cedat et ipse  
Tullius. has fundit dives facundia gemmas.*

Et sic, saeculo in peius ruente, semper tamen favebant vulgo scriptoribus, a vera pulchritudinis forma valde abhorrentibus, donec tandem omne elegantiae lumen in utroque eloquentiae genere, et omnis verae eruditionis laus plane extingueretur. Iacuerunt litterae saeculis barbaris et stultitiae, errorumque feracibus, nec quisquam, si paucissimos excipias, inventus est, qui antiquos aemularetur. Nam studium Aristotelis male intellecti, et notitia rei medicae, per Arabum libros e graecis derivata, tanti non est, ut contra iustum infelicium illorum temporum vituperationem valere possit. Plerique ex iis, qui docti habebantur, tantum aberat, ut antiquorum vestigia sequerentur, ut potius

\*) in hac voce aut Plinium peccasse, aut, reclamantibus licet libris, legendum esse puto mirentur.

tius spinis suis et tricis, quibus Philosophiam et Theologiam, quae tum erat, repleverant, nil crederent utilius esse, nil speciosius.

Mansit foeda haec rerum facies ad saeculum usque a Christo nato decimum quintum, quo, repetitis, Graecorum praecepue opera, elegantiae et doctrinae veteris fontibus, fortes paulatim abstersae sunt, et politior humanitas enitescere coepit. Multi tunc prodierunt scriptores, qui doctrina, ingenio, et incorrupto pulchri sensu valebant; sed hanc laudem priscis auctoriis legendis et imitatione exprimendis assequebantur, eosque adeo ut magistros suos praedicabant, nec palmarum iis auferre in animum inducebant. Exorti sunt quidem nonnulli, (e quibus tantummodo Bened. Accoltum \*), qui saeculo XV vixit, Io. Ciampolum \*\*) et Alexandr. Tassonum \*\*\*) nominabo,) qui priscis praecipuum decus erectum irent, suaque aetati summam laudem vindicarent. Sed hi conatus non multum habuere momenti ad labefactandam veteranum auctoritatem, neque ea tum erat rerum conditio, ut cum specie quadam veritatis vetustas vexari et irrideri, recentiorumque ingenia anteferri possent. Maiores animalium motus ac diuturniora certamina excitavit Car. Perraltus, recitato A. MDCLXXXVII. in Academia Francogallica Carmine,

A 3

quod

\*) v. Apost. Zeni Dissert. Vossian. T. II. p. 163.

\*\*) v. Erythr. Pinacoth. II. n. XIX.

\*\*\*) v. Tassoni vita, scripta a L. A. Muratorio, et praefixa illius Situlae raptae, (Secchia rapita,) p. m. XXIII sqq.

quod *Saeculum Ludovici M.* inscriperat. In eo cum saeculum Regis sui ex omni parte beatum praedicavisset atque excultum, mox adversarios nactus est et deinde etiam defensores, qui multa vi ingenii, magna eruditionis copia de hoc argumento disceptarent. Cuius controversiae historiam cum *Georg. Henr. Ayrer*, in doctissima *Dissertatione libro Blackwalliano de Praefantia Classecor. Authorum* subiuncta satis plene exposuerit, id tantummodo aliis relicum esse video, ut sententiam de rebus disputatis ferant. Nam Ayrerus, et si epicrisin addere non neglexit, in ea tamen ita versatus est, ut aliorum diligentiae non omnem materiam praeripere voluisse videatur \*). Quare, cum non nulla a viris praestantissimis animadversa et proposita adnotaverim, quibus aliquantulum propriae observationis accedit, licebit, specimene hoc academico, comparationem eruditionis antiquae et recentioris uberioris explicare in capitibus non nullis. Nam omnia persequi, nec virium, nec temporis, nec consilii fert ratio.

### §. II.

Iam primum omnium satis constat, in iis artibus et scientiis, quae experientia potissimum perficiuntur, veteres non potuisse non

\* Nec Heumannus in *Conf. Reip. Lit. VII.* 7. tribus axiomatibus suis operae pretium facit: imo controversiam ne satis quidem perspicere videtur, dum priscis admiserit scriptores saeculi XVI. et interpres Codicis sacri: nec plane verum est, quod dicit, poësin hodie esse inter *mægzena*, nam e. g. Poëpius uni huic arti vacavit: et omnino virum, cetera doctissimum, parum idoneum huius rei arbitrum fuisse, intelligitur ex eo, quod narrat Klotz. *A&L. Lit. Vol. I.* p. 365.

non errare in multis, et ignorare multa. Hinc mirum non est, accidente posteriorum saeculorum sollertia et diligentia, reperto apparatu instrumentorum, adiumentorumque, quibus illi carebant, Mathesin et omnia ea, quae illius ope indigent, artem medicam cum omnibus iis, quae ad eam hodie referuntur, Historiam naturalem, cet. multis partibus factam esse emendatiorem, pleniores, absolutiores. Sed, praetermissis his, illa potius spe-  
ctabo, quae ingenio maxime nituntur; in quibus primo loco occurrit *Poësis et Eloquentia*. Poëticæ inventionis laudem antiquis, iisque Graecis deberi, nemo adhuc exstitit, qui negaret. Neque hoc negari potest, nullius non generis carmina eorum ita perfecta esse ingenio, elaborata industria, ut Romanis postea, quod adderent vel magis expolirent, vix superesset \*\*). Ex Graecis porro, Romanisque recentioris aetatis poëtas, qui quidem nominis huius honore digni sint, et praecipue epicos, profecisse, et, quamquam non omnino, nec semper inveniendae concinnandaque materiae, saepissime tamen eius exornandæ rationem ab iis petivisse, certum est: quod omnium maxime animadvertere licet in Henriciade Voltarii; minus aliquanto in Tassi et Ariosti carminibus; minime omnium in Miltono, eiusque aemulo Germano. Facile interim largimur, esse non paucos inter recentiores, qui propria vi ingenii et magnitudine spiritus ad priorum gloriam proxime accendant \*\*): et licet antiquos multis fontes

\*) Romanos Graecis in plerisque esse inferiores, ostendit ERNESTI *Opusc. Orat.* p. 113. sqq.

\*\*) Offianum, et quae de illius carminibus, dubiaque eorum vetustate dici possent, consulto hic practereo; nec poëtas Islandicos etc. attingam, cum eorum ingenium

fontes et inventionis et ornatus fuisse fateamur, non fraudandi sunt tamen laude inventionis et expositionis recentiores, quantum ad varia poëmatum genera attinet, quae priscis plane incognita, successu felice tentarunt, v. g. quae nostri dicunt *Romanzen*; vel quorum formam mancam solum et inchoatam illi noverant; ut, quae vocant *heroiconica*, quorum tenuis adumbratio in Batrachomyomachia cernitur, amplificationis et perfectionis laus Italorum, Francogallorum, Germanorum ingenii debetur.

### §. III.

*Eloquentiae* veteris et recentioris comparatio multum habet difficultatis; propterea, quod eorum, qui dicunt, et apud quos et de quibus dicitur, insigne est discriminem. Circumscripsit itaque et sublatis ex hac disputatione omnibus iis, quae morum, institutorumque diversitas inter se conferri non patitur, hoc solum spectemus, principatum illius facultatis deferri ad Graecos atque Romanos, et eloquentiam tantum non omnem periisse plenisque videri. Et profecto satis certum est, nullius non elegantiae, pulchritudinis, δεινότητος ac virtutis oratoriae exempla in Demosthene atque Cicerone inveniri; Graeciam et Romam, quoad fuit libera, oratorum frequentia maxime floruisse. Non

alia

genium et ratio quamvis non spennatur, nūquām tamen primas ferre possit; five illos cum priscis committas, five cum recentioribus. Nec magis in censum venient poëtae medii aevi inter Gallos et Germanos, *Facteurs*, *Troubadours*, *Provinciales*, *Mimesinger*, vocati, quos, quamvis amoenitate, simplicitate et naturali pulchritudine commendabiles, a bonis poëtis recentiorum haud minus, quam antiquorum temporum superari, constat.

alia scilicet ratio erat, optatis potiundi. Non poterat cogi liber populus, sed debebat illi persuaderi, hoc vel illud e re sua esse vel rationibus suis officere: oratione extorquendus erat assensus, aut consiliis ac coeptis desistendum. Ipsi milites, ut participes commodorum rei publicae, non minis, non iussis, sed flexanima potius facundia impellendi erant ad rem fortiter gerendam; quae omnia in iis civitatum formis, quas nostris temporibus constitutas habemus, sublata sunt. Verum excipiendam non nulli censem Francogalliam et Britanniam, ubi adhuc caussae orantur. Certe in supremo Eritanniae Senatu, (Parliamentum vocant) saepe de rebus gravissimis orationes habentur, ac proinde non deest locus adhibendae eloquentiae; imo multi summae eius laudem sunt consecuti. Haec minime debent negari: sed sunt tamen, quae hic monenda videantur. Ea est institutionis, notionum, linguarumque nostrarum conditio, ut res multas, quas veterum oratorum aliquis uberior explicatas, coloribus quasi pictas proponeret, hodierni uno tantum verbo indicent, nudeque sine ullo pigmento ostendant. In quo recte faciunt, cum sciant, fieri non posse, ut animi auditorum ubertate explicationis ita afficiantur, ut rudiores illi in notionibus philosophicis, minus usui abstractorum et terminorum technicorum (quos dicimus) adfueti auditores, ad quos verba fecere Demosthenes et Cicero. Sumamus, ut exemplo utar, pulcherrimam illam πόντον, in Miloniana, Cap. IV. *Est haec, iudices, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripiimus, beuisimus, expressimus: ad quam non debet, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus: ut, si vita nostra in aliquas infidias,*

dias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda salutis. Hanc nostrae aetatis orator certe multo minus copiose, et fortasse sola illa philosophorum sententia: *Ius Naturae concedit moderamen inculpatae tutelae efficeret*, neque propterea cuiquam displiceret. Quod longe secus erat apud antiquos, quibus exilitas taedium, saepe et obscuritatem adferebat; ubertas contra oratoris et iucunda accidebat, et plerumque necessaria erat. Narratur in caussa satis celebri, quae in Senatu Britannico agebatur, patronus sententian: παραγόδοζον, ad defendendam ream, protulisse, nimirum legein, qua vetatur polygamia, pauperculis et misellis modo scriptam esse, non hominibus saeculi nostri lautioribus\*). Hoc si veterum aliquis tuendum suscepisset, quos adhibuisset Iecythos, quanta arte rem in omnes partes versasset, aditumque ad animos audentium quæsivisset! Sed ille nostri aevi patronus illa verborum tenuitate defungi poterat. Huc accedit, quod in Senatu Britanniae, ubi summi oratores in aciem prodire et pugnam committere dicuntur, eloquentia per se ipsam parum valet efficere. Sunt enim duces quidam et auctores, ad quos se applicat turba eorum, qui in deliberando *partes affensibus implet*; quorum numerus plerumque tam exacte potest iniri, ut ante, quam de hac illave re referatur, quae sententia vietrix futura sit, calculis arithmeticis fere possit definiri. Quid putas, Ciceronem aliquem novum dicendo efficere inter eos, qui, addicti in verba ducis iurare, eius auctoritatem, cum suis ipsorum com-

\* v. Schloes. *Briefuv.* III. Th. p. 4.

commodis frequenter coniunctam, unice sequuntur? Scilicet nec priscus ille Cicero quidquam valuit efficere, cum rediens ex provincia civitatem in partes distractam deprehenderet, et Caesaris, Pompeiique voluntas, non salus publica, vim legis haberet. Denique nec illud in hoc eloquentiae antiquae et hodiernæ iudicio praetermittendum est, quod Graeci et Romani, scita verborum inversione, seriem notionum auditoribus accommodatissime ad rerum naturam, suumque ipsorum consilium poterant offerre\*); cuius rei facultate hodiernæ linguae, in soluta praecipue oratione, magnam partem carent.

Iam ex his, (cum spatiis exclusis inquis plura addere nequeam) satis, opinor, patet, novos oratores minus esse copiosos veteribus, non tot, tantisque uti opportunitatibus animorum varie afficiendorum, versandorumque; sed id accidere non ipsorum vitio, inscitiaque, sed rerum natura et institutis sic fermentibus. Quin etiam si Demosthenes et Cicero, et cum iis Pericles ille βεγοτησιμέζαυος, ab inferis revocati, linguis hodiernis apud nostri saeculi homines loquerentur, non puto fore, ut magnas in nostris civitatibus, consiliis, iudiciis converiones facerent, et res publicas perturbarent et miscerent. Nam, partim forma regiminis, partim etiam *frigidus obstant* circum *praecordia sanguis*, qui in iis, qui Septentrioni propiores sunt, numquam ita eloquentia oratoris incalescit, ut veterum

\*) Quanta inversionis vis sit, egregie docet Home, in *Grundz. der Kritik*, T. 2. p. 56. sqq. (verf. Meinhard.)

Graecorum, Romanorumque similes evadant. Imo inter Italos ipsos collocati in extrema parte et sui tantum similes Pedemontani tarde aut omnino non moventur pulchritudine et sublimitate locorum *Rolandi furiosi*, et *Hierosolymae liberatae*, quibus Romani, Florentini, Veneti, Neapolitani mirum in modum adsciuntur, et tantum non exardescunt\*). Facile agnosco, pauca haec, quae de poësi et eloquentia attuli, iure meritoque manca haberi posse. Sed plura persequi, per scriptioris huius modum, non licet; neque opus est, cum omnia, quae hic desirare possis, elegantissime, acutissimeque pertractata legantur in *Gellerts Schriften V. Th. p. m. 262. sqq.* et *N. Biblioth. der schön. Wissenschaft. X. B. p. 1—37. 189—210.*

#### §. IV.

Progedior ad historicos; qua in parte itidem, ut in prioribus, fas erit, paucis defungi, cum ill. *Eyringius* virtutes antiquorum et recentium iam comparayerit\*\*), et secundum hos decreverit. Quoniam tamen iudicium stili a proposito suo segregavit,

\*) v. Baretti *Beschr. der Sitten und Gebr. in Italien II. Th. p. 95.*

\*\*) In Disp. praef. Viro ill. I. D. MICHAELIS proposita Goettingae, 1762. in qua copiose demonstrat, quantum valeat ad recte tradendam historiam melior cultura linguarum, qua veteres a recentioribus longe superantur. Nimirum et plures linguae hodie, praesertim a Germanis, et accurius discuntur. In ri mandis etymis non licet proferre, qualia in Platonis Cratilo leguntur, qualia confinxere Varro, Cicero, Iurisconsulti, nisi quis nugator haberi velit. Et etymologiam cum cautione adhibitam difficultates tollere, tenebras dispellere posse in rebus historicis, viri docti tam praeceptis, quam exemplis satis ostenderunt.

gavit, de hoc nonnulla adiiciam. Sunt inter antiquos, qui, simpliciter res gestas narrantes, verborum ornatu carent, ut e. g. Herodotus; sunt, qui, ornatum quaerentes, ad ineptias deferuntur, ut Florus. Plerique tamen fani sunt coloris, probabili scribendi genere utuntur; et multi narrationis suavitate lelorem tenent atque deleant. Il vero, quos προγνωματικούς vocant, Thucydides, Xenophon, Polybius, Livius, Sallustius, Tacitus eo aliis praefant, quod in narrationibus ostendunt, quomodo quis in quaque re agenda, patienda, videnda, adfectus animo fuerit, quique motus existenterint; deinde suum de factis iudicium interponunt, et quid res, tempusque, officii et prudentiae ratio postulaverit, ad utilitatem legentium, declarant: denique pronuntiata de natura hominum interiore addunt, quorum copia et acumine philosophos, subtiliter de his rebus praecipientes, longe antecedunt. Eiusmodi pronuntiata sunt illa Livii: *Libertatis acriores stimuli sunt omisae, quam retentae.* *Nulla ingenia tam prona ad invidiam sunt, quam eorum, qui genus ac fortunam suam animis non aequant.* Illa Taciti: *Summa scelera incipiuntur cum periculo, peraguntur cum praemio.* Numquam sati fida potentia, ubi nimia est. Illud Polybii: πρὸς τὸ παρὸν διὰ πῶς ἀρμόζουσι ναὶ συνυπογνώμονεις τοιαῦτα ναὶ πρότιτους πάντες ὡς δυσθέωσην εἶναι τὴν ἐνίσχου προσήσειν, ναὶ λίαν ἐν πολλοῖς ἐπιχειρεῖσθαι τὴν ἀληθεῖαν. In his atque talibus priscis aio cedere recentiores. Et enim a Guicciardino inde, principe Historiae bene condendae a renatis litteris, non nimis multi existere inter Italos et Francogallos, pauciores inter ceteras nationes, qui hac in re cum

veteribus, non dicam de principatu contendere, sed tantum sine suo ipsorum dedecore, comparari possint. Plerique, inculto et horrido orationis genere usi, putabant, rebus modo ex veritate narrandis officio historici satisfieri; nihilque adeo facilius habebatur scribenda historia. Nonnulli ex Germanis, adhibendo syrmate titulorum, quod temporum barbaries invexit, historiae dignitatem dehonestaverunt. Exortus est tandem Voltarius, et ingenii elegantiam ac suavitatem, qua pollebat, ad ornandam rerum gestarum veritatem contulit. Neque potest negari, ei exquisitorem cultum historiae deberi. Adlicit, tenet, delectat, docet lectorem, et narrationem, ad exemplum pragmaticorum veterum, frequentat luminibus sententiarum; quanquam eas interdum contritas habet et alieno loco positas. Verum hoc minus habet offensionis, quam licentia fere poetica, qua in nonnullis veram rerum, personarumque faciem ita interpolat, ut tibi obversetur *Pergula pictoris, veri nihil, omnia falsa.* Verum, hoc non obstante, bene meritus est de arte historica, tollendo quasi signum aliquod ad repetendam veteranum praefantiam, et excitando imitatores et aemulos, qui eum partim sequendo, partim praecurrente, ut e. g. Coyerius, Robertsonus, laudem egregiam retulerunt. Etiam hoc momentum non parvum facit, quod antiqui historiae scriptores fuerunt serie principes maximarum ciuitatum, duces belli, aut certe viri rerum civilium et militarium peritissimi: quorum exiguis numerus est inter recentiores, qui proinde, quoties praelium accurate describere instituunt, omnia mirifice turbant, et viris, rei militaris scientia praeditis, ludibrium debent. Verum, cum ma-

xima

xima pars lectorum talia neque intelligat, neque curet, sapientes historici narrationibus eiusmodi abstinent; et, in usum virorum militarum, a ducibus peritis res gestae describuntur: quo pacto lectorum cuiusque generis commodo optime consulitur. Alia ratio erat Graecorum et Romanorum, apud quos non facile quisquam rerum bellicarum notitia prorsus carere aut earum incuriosus esse poterat.

Verum enim vero, et si in quibusdam partibus antiqui homines vincunt, vincuntur tamen et ipsi pleniore atque certiorre Orbis terrarum notitia; vincuntur *angustiz* in reddendis nonnibus regionum, urbium et hominum barbarorum, quae a Graecis et Romanis misere plerumque corrupta ac deformata diligentiam et studium recentiorum saepe tardaverunt, non numquam plane fefellerunt: vincuntur denique cura, qua meliores ex historicis recentioribus vitae domesticae et privatae raticem habent, et, qualis ea qualibet tempestate fuerit, scite, ad iucunditatem et usum legentium, exponunt; quod veteres, bellicorum et civilium negotiorum praincipie studiosi, aut fecerunt parcus, aut omnino neglexerunt.

### §. V.

Ex illis, quae, pro mea facultate, hic tractare constitui, supereft *Philosophia*. Eius nomen cum antiqui illis etiam, et quidem praincipue, tribuerint, qui rebus publice, privatimque utilibus excogitandis, tradendis, adhibendis studerent, etiam si ad subtilitatem disciplinae non referrentur; quemadmodum *Espirit philo-*

*philosophique* Francogallorum consuetudo usurpat: monendum puto, me de philosophia, proprie vel significatu hodie consueto sic appellata, hic agere. Eam prisci universam in tres partes distribuerunt, scilicet, ut Tullii verbis utar, *in naturae obscuritatem, in differendi subtilitatem, in vitam atque mores*; h. e. in Physicam, Logicam et Moralem. Illa complectebatur quam nos dicimus Pneumatologiam s. Theologiam naturalem et Psychologiam, cum ea, quam nos Physicam scientiam nominamus. In hisce omnibus priscos nobis multo inferiores esse, nemo est quin fateatur. Sive enim cognitionem Dei respicias, nos, Sacri codicis adiumento et rationis usu, et accuratiorem et vero etiam certiorem eam habemus; sive naturam mentis nostrae consideres, multa expedivit recentiorum in illa observanda studium, argumenta gravissima, v. c. de libertate, priscis aut intacta, aut non bene pertractata, sollerter differuit: sive denique ad corporum scientiam animum advertas, in qua veteres non nisi hypotheses comminisci neverant, illam, recentiorum experimentis et Mathematices usu, ita ab erroribus et opinionum vanitate v. g. fuga vacui, repurgatam, ita auctoriam, (ut doctrina electricitatis, colorum, etc.) ac perfectam in plerisque et indubitatam videbis, ut veteres hac parte tantum non ineptiisse, recentiores fere soli sapere videantur.

Si ad Logicam s. Dialecticam nos convertimus, facile perspicimus, eam, qua hodie utimur, multis partibus praestare non solum tricis et λόγοις απόγοις Stoicorum, Canonicae Epicuri, sed etiam subtilibus scriptis Aristotelis, quae *Organī* appellatione

com-

comprehenduntur. Quamvis enim hic philosophus optimus inter veteres fuerit Logices magister, tantum tamen abest, ut opus omnibus numeris absolutum exegerit, ut multa adhuc posterioribus reliquerit emendanda atque addenda; quod satis demonstratum dedit *Walchius*, in Hist. Log. L. II. §. VIII \*). Vel sola probabilitatis doctrina, a recentioribus subtiliter enodata et ad calculos revocata, quidquid Aristoteles et Aristotelici de categoriis tradidere, acumine et utilitate antecellit.

Nec philosophia moralis caruit suis incrementis, quae pariter ac Theologia naturalis, ex parte, sacris litteris debet. Locus de iudicio actionum s. conscientia plenius et subtilius nunc tractatur; Ius Naturae, olim perplexum et fundamentis non usque quaque firmis innixum \*\*), et vero etiam a Pyrrhone eiusque discipulis labefactatum, a saeculo inde decimo sexto rebus illustrari coepit, Grotii tandem, Pufendorfi et posteriorum studio ita est perpolitum, ut, citra omnem iactantiae suspicionem, nostra hac parte Graecis et Romanis anteponenda iudicemus.

Neque

\*) In Parerg. Acad. p. 530. sqq.

\*\*) v. Buddei Hist. Iur. N. et G. p. 22. sqq. *Heumann*, Exercitatt. Vol. III. pag. 57. sqq. Quanto doctrina virtutum, quae hodie traditur, praeceptor sit praeceptis antiquorum, disquirit *Gellert im VI. Tb.* p. m. 54. sqq. Sed de quibusdam nimis acerbe iudicat, e. g. cum p. 70. Senecam reprehendit, qui misericordiam vitandam censet. Non negat Stoicus, succurrendum esse homini, qui auxilio eget; sed sapientis tranquillitatem non vult turbari aegritudine ex aliorum rebus adversis. Scilicet, hoc sensu, nec in Denin cadit misericordia.

Neque praetereundae sunt accessiones, quibus philosophia aucta est atque amplificata opera *Wolfii*, qui notiones generiores, ad mundi cognitionem pertinentes, in *Cosmologia transcendentali* proposuit, et *Baumgartenii*, qui scientiam pulchri, eiusque notiones generales, in *Aesthetica*, perpetuis praceptis comprehendere aggressus est \*).

### §. VI.

Fuit tempus, cum etiam Methodus mathematica, *Wolfii* studio tantopere commendata, et adhibita in omni philosophia, inter illa referretur, quibus aetas nostra antiquitate beatior esset. Ipse Vir summus de praestantia huius methodi mirabilia praedicabat \*\*), eamque remedium omnium errorum, certissimam veri inveniendi viam esse perhibebat. Exorti sunt multi sectatores, qui hanc methodum, ad doctrinam philosophiae traducitam, non minoribus laudibus extollerent, eiusque legibus omnes divinas, humanasque disciplinas, indignantes quantumvis et repugnantes, adstringere instituerent, veteresque philosophos eo nomine reprehenderent vel miserarentur, quod nihil via a ratione tradiderint.

Quod-

\* ) Quantum eruditae antiquitati debet haec scientia, docuit ill. *Willius*, Patronus et Praceptor numquam non colendus, in *Orat. de Aesthetica Veterum*, Altorf. 1756. Quid in Aesthetica Baumgarteniana desideretur, monstravit Vir doctus, in der Biblioth. der schön. Wissensch. III. B. p. 130. sqq. cf. etiam IV. B. p. 438—56.

\*\*) Praecipue in Progr. de Necessitate Methodi Scientifica, Helaee 1741.

Quodsi vis methodi istius ea est, ut apta sit argumentorum sententiarumque series, ut certa principia et fundamenta ponantur, et alia ex aliis nestantur; ut ea praemittantur, ex quibus sequentia intelliguntur; ut nullum admittatur vocabulum, cuius significatus non accurata definitione antea declaratus vel iam aliunde aut per se satis fit cognitus; quodsi, inquam, his legibus absolvitur methodus mathematica: non solum veteres philosophi, sed omnes omnino scriptores boni, in tradenda quacumque doctrina illa usi sunt, aut certe uti studuerunt; ac proinde nil erat praecipuum Wolfianis, quo iure gloriarentur. Sin vero ariditas et exilitas, si universum syrma repetitionum et demonstrationum, quo vulgo haec methodus censebatur, ad vim et naturam eius pertinet, usus eius neque fastidio caret, neque ad illud subtilissimum certi genus, quod geometris proprium est, perducit in iis rebus, quae tantam ἀντίβολογίαν non capiunt \*). Testis est experientia. Questus est *Wolfius* de perpetuis dissensionibus Theologorum, iisdem sacris addictorum; questus est de dissensionibus Iurisconsultorum in rebus et factis plane iisdem; et inde collegit, veram methodum non esse eam, quae Theologis et Iurisconsultis tum placeret. Pari ratione etiam de diversis Medicorum et Philosophorum opinionibus iudicavit. Obtemperatum est auctorati tanti Viri: methodus, quam commendabat, in docenda

C 2

Theo-

\*) v. ERNESTI Opusc. Philolog. p. m. 188. sqq. Fuerunt quoque inter veteres, qui ἀντίβοτες illud ubique adhibendum censerent; sed ab omnibus sanis derisi sunt, et a Luciano in primis lepide exagitati.

Theologia revelata, in tradendo Iure positivo etc. adhibita; sed quo eventu? Sublatae sunt, puto, omnes controversiae; nulla amplius est sententiarum discrepanzia. Immo ne hilum quidem profectum est. Quae antea fuere incerta, nequaquam facta sunt certiora. Patuit, Wolfi Ius Naturae, in quo omnia Christi praecelta moralia demonstrare decreverat, arbitriis definitionibus et incertis assumtis aequo superstru<sup>c</sup>tum esse, ac systema aliud: Harmoniam praestabilitam non magis demonstratam esse, quam influxum etc. Itaque relicta paullatim illa methodo, liberalioribus ingeniis merito fastidita, repeterunt eruditam illam differendi rationem, Academicis, Peripateticis, et Ciceroni praincipue celebratam, quae et munditie orationis et claritate rerum, copia denique et venustate quadam ac lepore in verbis et sententiis delectat, eademque via ipsas res accommodatores cuiusque, etiam non subtiliter in eo genere eruditi, captui reddit. In quo numero hi maxime censi vo- luere, qui in dialogo scripserunt, quo nihil aptius est expromendae amoenitati ingenii. Hac ratione inter Francogallos Fontenellius, ex Ital<sup>s</sup> Algarottus, ille corporum coelestium natura et Systemate mundi illustrato, hic explanata doctrina lucis, colorum et attractionis Newtoniana <sup>\*)</sup>, insignem laudem iam prius consecuti sunt, quam Germanorum ingenia Socraticarum chartarum suavitatem et *μελευτικὸν* illud Platonis intelligerent,

aut

<sup>\*)</sup> Celebris ille Metastosis de hoc libro Algarotti non nimis bene sensit, eamque rerum etrusca lingua tradendarum rationem improbavit: v. *Babioles Litter.* t. 1. p. 149. t. 3. p. 31. Verum re*θ*ius, si quid video, indicavit *Klotzius*, *AG. Lit.* Vol. I. p. 481. qui auctorem, si ieiunitatem et obscuram subtilitatem

alio-

aut certe imitando adsequi conarentur. Verum bene compensata est tarditas nostra multitudine scriptorum, qui elegante et liberali philosophandi ratione nostra tempora priscis inferiora esse non finunt. Tales sunt ABTII, WIELANDI, FEDERI, PLATNERI, EBERHARDI, MEISNERI, et ut quisque ad praeftantiam eorum proxime accedit. His debet laetiorem apud nos philosophia faciem, qua, exuta siccitate umbratili, humana et popularis appetet; his debet campos spatiose et amoenos, in quos, ex angustiis et dumetis, quibus cludebatur, immissa est. Non desunt exteris cultioribus, praincipue Francogallis, viri pari laude conspicui, quos singulos, cum magnus sit eorum numerus, longum esset commemorare. Id modo adiiciam, in iis inveniri, qui partim sententiarum, allusionum, troporum captatione, partim, quod multo gravius est, opinionum temeritate, iocorum licentia, imo religionis contemtu, peccant et noceant. Verum haec non obstant, quo minus saeculum nostrum in philosophia populari pariter ac subtili antiquos antecedere putem.

Haec

allorum imitatus fuisset, non putat inventurum fuisse Regem lectorem, non habiturum principes admiratores, non crepturum tenebris librum suum, qui nunc summis laudibus fertur; ac mihi quidem dialogos Fontenellianos non minus elegancia, quam arte explicandi res difficiles et obscuras superare videbuntur.

\* \* \*

Haec sunt, quae, pro temporis et virium modulo, de hoc argumento in medium adferre potui. Quodsi cui in quibusdam vel in omnibus secus videtur, id neutquam mirum mihi accidit; cum probe sciam, nihil magis anceps ac dubium esse comparatione et diiudicatione rerum, quarum magnitudo sensibili, certaque mensura comprehendendi ac definiri nequit.

## THESES.

---

- I. *Iustitia sine bonitate nulla est.*
- II. *Non bene dicitur, bona et mala esse vera, vel apparentia.*
- III. *Homines per mortem non annihilantur.*
- IV. *Quilibet praesumitur bonus.*
- V. *Nonnunquam facienda sunt mala, ut inde eveniant bona.*
- VI. *Aliorum perfectiones nobis damno esse possunt.*

